



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Elucidatur ulterius, quomodo aliquis possit prudenter, adeoque licitè
operari ex sententia minus probabili, minusque in speciem tuta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

66 Pars 1. tract. 1. De Opinionum probabilitate
maleficiatis, ubi Cælestinus III. naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, si frigiditas prius probari non poterat, concedit ut cohabitent ad triennium; atqui post copulam per biennium frustra attentatam, multò prababilius est sub finem triennij subesse impedimentum impotentia, adeoque matrimonium esse nullum; & multò tutius foret à thoro conjugali abstinere, & utrimque castè vivere, idque in materia juris naturæ, in qua Pontifex nequit dispensare. Et tamen in casu illo conjuges licitè se mutuo tangunt, & copulam tentant, idque à Pontifice positivè permittitur: non aliam certè ob causam, quam quia usque ad finem triennij manet probabilitas potentia ad copulam, quamvis illa sit multo minor quam probabilitas impotentia, appetente sine triennalis experimenti.

S. 2.

Elucidatur ex dictis ulterius, quo modo aliqui possit prudenter, adeoque licitè operari ex sententia minus probabili, minusque in speciem tuta.

DE monstratur viâ maximè clarâ, & facili; tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Quia ut voluntas prudenter intellectui imperet assensum intuitu assequendæ veritatis, quod est proprium bonum intellectus, non requiritur major cura & perfectio, quàm ab eadem voluntate exigitur in ordine ad proprium ob-

objectum, quod est bonum. Atqui ut in electione proprii objecti voluntas prudenter agat, necesse non est semper ut eligat bonum quod cognoscit esse præstantius, sed sufficit ut eligat illud quod verè bonum est. Ergo ut voluntas prudenter determinet intellectum ad assensum, non tenetur illum ad partem probabiliorum aligare, sed sufficit si ad partem minus probabilem suo imperio illum determinet. Sic enim magis promouet bonum intellectus, quàm si illum ab omni iudicio suspenderet: & cum magna spe obtinendæ veritatis sic procedit, cum supponatur pars illa, etsi minus probabilis, esse tamen verè & certò probabilis, hoc est, illis motivis innixa, quæ per se virum prudentem ad assensum meritò movere possunt. Nam etsi eligeret partem quæ apparet magis probabilis, non nisi etiam cum aliqua formidine illi assensum præbere possit, cum hæc sit cuius assensui probabilis intrinseca. Et verò quis est qui illos peccati aut imprudentiæ arguat, qui etiam cum iuramento ritè se determinant ad amplectendum vel tradendum doctrinam sui Magistri, ut doctoris Angelici, etsi forte quandoque ipsis in suis Magistris appareant aliquæ sententiæ oppositis minus probabiles, quia hoc magis conducit ad Doctoris alicujus præstantissimi doctrinam, & Scholam promovendam.

Declaratur ulterius hæc doctrina in ordine ad quæstiones morales. Quæstio sit, an licitum sit pingere in die festo. Probabilius est id non licere, minus probabile id licere. In hoc casu voluntas spectato suo fine, sive bono sibi proprio prudenter determinat intellectum ad probabilem assensum, quod liceat pingere in die festo.

Quia

Quia sic ex una parte plurimum promovet suum bonum, & libertatem in pingendo si velit, & ex apposita parte nihil patitur detrimenti, quia adhuc retinet suam libertatem etiam ad non pingendum, tanquam ad opus Consilij sub peccato non obligantis. Quod autem per hoc plurimum promoveat bonum suum patet, quia sic aufert à se obligationem abstinendi ab illo opere: atque ita removet periculum peccandi, cui aliàs subiaceret: & cui se ultro exponeret, si intellectum ad oppositum assensum determinaret, quæ etiam omnino ad prudentiam pertinent.

Quod si insuper reflectat, quàm incerta sit major rei probabilitas in ordine ad determinatam objecti veritatem: & quàm difficile sit motiva omnia tam extrinseca quam intrinseca utriusque partis æquâ lance sic ponderare, ut major probabilitas certò attingatur: item, quàm sæpe contingat id postea verius apprehendi, quod minus probabile apparebat; facile profectò judicabile se non imprudenter agere, si opinioni, etsi minus, verè tamen probabili se conformet. Certum autem est Deum neminem violatæ legis reum habere, qui prudenter iudicat illam hic & nunc suæ actioni non adversari, quod per opinionem etiam minus probabilem fieri posse hactenus demonstratum est.

Quidquid huic demonstrationi obiicietur, non potest aliud concludere, quàm quod perfectius ager voluntas imperando assensum, & usum partis probabilioris, quod tamen semper verum non esse ex dictis, & infra dicendis facile colligitur. Sed ut omnino verum id esset, quomodo sic

inferes, Istud est perfectius, ergo nunquam licebit voluntati imperare aut sequi sententiam minus probabilem, quia hoc est minus perfectum. Manifestum autem est nullum dari præceptum semper amplectendi perfectiora aut tutiora, aliàs opera quæ sunt Consilij sic in præcepta verterentur.

Porro radicem præcipuam, ex qua pullulant aliæ impugnationes hujus sententiæ, conemur breviter & clarè detegere, hoc modo. Dicunt: *Prudentis est eligere tutius*. Hoc sanè non rectè: sed sic: Prudentis est eligere tutum, & Prudentioris vel Prudentissimi est, eligere tutius vel tutissimum. Ad omnem autem Prudentiam non datur præceptum: sed simpliciter ad operationem Prudentem, & hæc sola hic exigi potest: nonne hoc manifestum? Nunc quæro ulterius: Quare electio opinionis minus probabilis in concursu probabilioris non possit esse tuta? Quia, inquis, *Opinio probabilior est tutior*. Rectène sequitur; Opinio probabilior est tutior, ergo probabilis, non est tuta? Obedientia est melior quam victima, ergo victima non est bona. Nonne defectus hujus sequelæ facile percipitur? Progredior porro, & inquirò: An opinio probabilior sit *absolute*, tutior minus probabili, uti supponis? Manifestum est non esse: sed tantum in hoc unico tutior apparet, quod magis videatur attingere veritatem objecti, etsi forte in re eam nullo modo attingat. Aliunde verò electio opinionis minus probabilis est certò tutior: nempe ex eo, quod eligendo minus probabilem, in eximenda obligatione præcepti, vitentur pericula plurima formalis peccati, quæ passim fierent ex persuasionem obligationis sub peccato circa innumera
præ-

70 Pars 3. Tract. 1. De Opinionum probabilitate
præcepta, forte etiam in re non obligantia. An
ergo tutius non sit vitare frequens periculum
formalis peccati, quo Deus certò offenditur,
quàm periculum aliquod materialis peccati, quo
Deus certò non offenditur, & cujus periculum
non tenentur homines quovis modo vitare, ut
eligendo statum religiosum, vel abdicando offi-
cia, & beneficia, quod per se notum est: & ob
has considerationes in titulo addidi, *in speciem*
minus tuta. Ex quibus satis patet, nihil obstare
quo minus electio illa prudens & tuta censeatur,
præsertim cum non sistatur in hoc iudicio
directo de probabilitate objecti, sed in conclu-
sione practica & certa de honestate actionis,
quæ jam magis explicabitur.

Itaque ex his ita stabilitis de prudenti assensu
partis minus probabilis circa honestatem objec-
ti, nunc ulterius facile ostenditur quo modo in-
de perveniatur ad certitudinem practicam de
honestate nostræ actionis, & de ea conscientia
omnino certa formetur. Nititur enim hoc evi-
denti syllogismo. Certum est hanc opinionem
minus probabilem, v.g. quod liceat pingere die
festo, esse verè probabilem, adeoque verè pru-
dentem. Supponitur enim niti motivis ad fun-
dandum assensum sufficientibus, nam aliàs pro-
babilis non esset. Atqui prudenter agendo cer-
tò non possum peccare. Ergo certum est licitum
mihi esse, pingere in die festo. Utraque præ-
missa est clara, ergo certa est consequentia in
debita forma ex illis deducta. Atque hoc est
ultimum dictamen certificans intellectum de
honestate suæ electionis & operationis termina-
tæ ad partem speculativè quidem minus proba-
bilem, sed quoad honestatem operationis prac-
ticè

ticè certam. Nec alia certitudo directà ad operandum, in rebus utrimque probabilibus, ulla ex parte inveniri poterit.

Ex his quæ deduxi existimo meritò posse observari, inter hanc doctrinam, & illam quàm tradunt alij qui eam studiosè oppugnant, valdè modicum, & forte nullum in re fore discrimen, si velint ad eam animo sat pacato attendere 1. Docent illi ad formandam in praxi conscientiam, judicium certum esse necessarium: idem admittit hæc sententia, quæ requirit judicium ultimum certum de honestate actionis, uti jam in priori syllogismo ostendi. 2. Admittere etiam debent illi, opinionem minus probabilem fundare posse judicium prudens de objecti veritate, non obstante formidine quæ opinioni inest de opposito? nam hanc ipsam formidinem involuit definitio omnis opinionis verè probabilis, etsi motivis ad prudentem assensum sufficientibus niti debeat. Quod si in formando de objecti veritate prudenti judicio, illa formido obesset, nulla opinio, etiam probabilior, imo nec moralis certitudo sufficeret; quia hæc etiam aliquam formidinem & fallibilitatem admittit. 3. Necessarium est etiam illos distinguere inter judicium de veritate objecti, & judicium de honestate actionis: ad illud formandum illi, qui Probabilistæ vocantur, dicunt probabilitatem minorem posse sufficere, non verò ad judicium practicum de honestate nostræ actionis. Certum autem & aliis esse debet, quod judicium prudens & certum de honestate actionis possit consistere cum objecti falsitate à parte rei: aliàs nec moralis quidem certitudo ad honestum & prudentem actionem sufficeret. Nam falsitas ob-

jectiva

72 Pars 3. Tract. 1. De Opinionum probabilitate
jectiva stare potest cum morali etiam iudicii
certitudine, cum hæc quoque admittat aliquem
gradum fallibilitatis.

Ex quibus patet, inter utramque partem in
re ipsa, & in praxi agendi, non subesse quan-
tum prætendunt discordiam, sed potius in modo
loquendi: atque in actionibus particularibus
plerosque probabilitatis defensores nihil sibi li-
citur censere, quod alij non æquè in praxim re-
ducunt.

Has igitur concordiaæ mutuaæ leges statuamus.
Primo, ut dicatur utrimque, ad licitè operandum
requiri dictamen conscientiaæ moraliter certum;
in quo de facto partes consentiunt. 2. Ut in o-
perando, pro morali certitudine, non accipiatur
major probabilitas, quod aliqui faciunt, qui vo-
lunt sic persuadere se non nisi certa complecti.
3. Ut minor probabilitas in concursu majoris,
agnoscatur esse vera probabilitas distincta à
dubio, quod juxta prædicta, sic manifestè de-
claro. Si enim major probabilitas tolleretur mi-
norem probabilitatem sibi oppositam, sequeretur
etiam minorem probabilitatem tollere ma-
jorem probabilitatem oppositam, quod neutra
pars admittet. Statuamus enim majorem pro-
babilitatem involuere sex gradus apparentiaæ de
veritate objecti, & oppositam minorem pro-
babilitatem quatuor gradus apparentiaæ verita-
tis ejusdem objecti. Si major probabilitas de-
beat tollere illos quatuor gradus tanquam sibi
oppositos, ergo etiam minor probabilitas, quæ
constat quatuor gradibus, debet elidere qua-
tuor gradus majoris probabilitatis sibi oppo-
sitaæ, quæ sex gradibus constat; ergo tantum
relinquit duos gradus, qui soli non sufficiunt ad
confi-

constituendum iudicium probabile de objecti
veritate. Ergo si nullo modo admittendum sit,
quod minor probabilitas tollat oppositam ma-
jorem, pari ratione admitti non potest quod
major probabilitas elidat minorem, & in elec-
tum ex ea parte tantum dubium relinquat.
Quomodo verò quodvis iudicium, etiam minus
probabile, à dubio distingui debeat, dilucidè
ostenditur supra part. 3. tract. 1. in Prin-
cip. 16.

Denique pro veritate & usu hujus doctrinæ
sufficiet adducere breviter communem praxim
Ecclesiæ, quæ clarè patet primò, ex jure Cano-
nico in cap. *Laudabilem* de frigidis & maleficia-
tis, Ubi conjugibus naturaliter frigidis, si id prius
probari non poterat, conceditur experimen-
tum triennale, in quo post copulam per bien-
nium frustra attentatam, multò probabilius est
subesse impedimentum impotentiae, adeoque
matrimonium nullum esse, ac tutius à copula
tentanda abstinere: de quo in §. præcedenti.

2. Idem manifestum est in eo, quod illicitum
non sit se determinare ad formandum iudi-
cium internum de conceptione non immacu-
lata Virginis Deiparæ, quamvis illa opinio jam
apertè minus probabilis censeatur.

3. Omni ævo Sancti Patres, & Ecclesiæ Præ-
lati docuerunt & inculcarunt, quod Religio-
sus, ut perfectus sit, debeat Prælato obedire
in omnibus quæ manifestè non repugnant le-
gi divinæ, aut Ecclesiæ determinationi. Ac
proinde si Superior ordinet rem probabiliter li-
citam subditus debet obedire etsi oppositum
ipso appareat in se probabilius & tutius; quod
etiam extendunt ad ordinationes sub præcepto

Tom. II.

D

non

74 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate
non obligantes. Certum autem est . præcep-
tum vel ordinationem Superioris non reddere
licita , quæ ex se essent illicita. Ac proinde
alios etiam in agendo posse prudenter for-
mare Conscientiam practicè certam circa ea
quæ apparent directè minus probabilia, minus-
que tuta.

4. Idem ostenditur in Pontificibus Romanis
qui ut diximus in §. superiori in praxi sæpe se-
cuti sunt partem minus probabilem minusque
tutam, dum dispensarunt in voto solenni casti-
tatis, quod minus probabiliter licere, cum Divo
Thoma docent passim Thomistæ , & alij non
pauci agnoscunt. Neque per hoc illi Pontifices
opinionem minus probabilem reddiderunt cer-
tam aut probabiliorem. Nam S. Thomas qui
postea vixit, & eorum gesta non ignoravit con-
trariam docuit, & alij posteriores. 2. Pontifices
plurimi, ut Pius V. Gregorius XIII. alique varij
dispensarunt sæpius in matrimonio rato quod
fieri non posse S. Bonaventura, Scotus, & Sco-
tistæ communiter cum pluribus docent, & non
pauci probabilius admittunt, & haud dubiè tu-
tius opposito : De quo plura supra in §. 1.

5. Eadem doctrina declaratur recepta in ma-
teria justitiæ, in qua etsi opinio sit minus pro-
babilis, quod res ad me pertineat, non ideo te-
neor illam alteri tradere pro quo stat opinio
magis probabilis. Quia inquirunt, non debeo
prestare solutionem certam pro debito incerto.
Quod non minus locum habere videtur, quando
obligatio legis est incerta, & pro ea solutio sive
executio certa exigitur, dummodo conscientia
practicè certa formetur, juxta normam supra
assignatam.

Sed

Sed in prædictis semper observandum, Usus opinionis minus probabilis locum non habere, ubi agitur, non tantum de honestate actionis, sed insuper de valore operis, ut in administratione Sacramentorum extra necessitatem, vel ubi intercedit certa alterius injuria, aut lex, aut conventio procedendi ex certioribus, ut in Judice, & hujusmodi aliis.

Ex his patet, tam ratione, quam praxi in omni genere hominum prudentissimorum, sententiam hanc, quam vocant benigniorem, semper locum & usum habuisse: & cum illa consistere viam prudenter formandi conscientiam in operando practicè certam & securam. Via veritatis objectivæ unica est, & in tramite indivisibili consistens, quàm certò attingere paucis datum. Nonne igitur æquè laxitatis arguendus, tam qui ad sinistram per nimium sentiendi rigorem, quàm qui ad dexteram per nimiam benignitatem ab hoc indivisibili tramite declinat? Nonne æquè injustum, ligare ad indebita, quam à debitis absolvere? Ut ergo laxi non simus, utrumque caveamus.

S. 3.

Dissolvuntur aliquorum Theologorum argumenta.

Objectis primò, Qui sequitur opinionem minus probabilem, minusque tutam, incurrit majus periculum peccandi, quam si amplecteretur opinionem probabiliorem, ac tutiorem. Hoc verò existimari debet illicitum, ut quis sciens, volensque se violandæ legis periculo exponat.

D 2

Ref-